




1995  
A  
11072



66 / 825







1 3  
ORATIO  
DE CONTAGIONE,  
PUBLICE HABITA  
VVitebergæ, ab

ANDREA SCHATONE, MEDICI  
CINÆ D. ET PROFESSORE:

CUM DOCTORUM in arte Medica, insignia con-  
ferrentur viris VI. Ornatiss, ac  
doctissimis:

M. Melchiori Iöstelio Dresdensi, Mathem. professori publ.  
M. Danieli Torschmidt, Freibergensi,  
M. Tobia Tandlero, Torgensi,  
M. Casparo Horn, Freibergensi,  
Stephano Marcello, Austriaco,  
Basilio Plinio, Rigensi Livono.

Die XIV. Octobris  
Anno Iesu Christi M. DC.

*Addita sunt:*

*Quæstio, & Aphorismi aliquot, à Renunciatis Doctoribus,  
tum breviter explicata.*

WITEBERGÆ,  
Excudebat Zacharias Lehman

Anno M. DCI.



95 A 11 072

Alx



O R A T I O.



SOLENT HI CONGRESSUS PUBLI-  
 ci, qui honori & congratulationi Can-  
 didatorū, præmia virtuti ac eruditioni  
 proposita, legitimè petentium, conse-  
 crantur, cum solennitate quadam cele-  
 brari: non quidem, vanæ ostentationis, aut ociosi  
 spectaculi gratia, sicut olim cum ludis theatricis fa-  
 ctum est: sed ut occasio sit, tum DEO supplicandi  
 votis communibus, pro ijs rebus, quibus salus publi-  
 ca & priuata continetur: tum sermone aliquid repe-  
 tendi, ad Scholasticos, quod vel ad eruditionem locu-  
 pletandam alendamq; ipsis conducatur, vel ad pietatis  
 ac virtutis studium in iisdem excitandum, non pa-  
 rum momenti adferat. Ac ad precum quidem a-  
 morem assiduitatemq;, nos invitare ac impellere  
 debet præsentium temporum status, miser profectò  
 ac formidolosus: de quo querelæ hominum piorum  
 & intelligentium, quotidie audiuntur, nec sine causa.  
 Plura enim & maiora nos vndiq; circumstant peri-  
 cula, tum ab internis Europæ motibus, tum a b exte-  
 ris aliarum orbis partium, quàm aut imperita multi-  
 tudo, & securæ mentes cogitant: aut prudentiores e-  
 tiam moderatioresq;, animo cognoscere & prævi-  
 dere possunt. In horum ergo malorum publico-  
 rum, & quæ vnicuiq; domestica sunt, consideratio-  
 ne, nulla res animos piorum tranquillare efficacius,

A 2

& erit

O R A T I O

& erigere atq; sustentare firmitus potest, quàm fiducia præsentia & auxiliij divini, & religiosa DEI invocatio. Etenim turris fortissima, est nomen DOMINI: ad ipsum currit justus, & in excelsis ac tuto loco consistit. Ac conservabit DEUS Ecclesiam suam, & semen sanctum in hac sibi perpetuò colliget; quantumcunq; etiam fremat Diabolus, & quicquid sanè rebus humanis accidat. Huic æterno ac misericordii DEO, commendamus res communes orbis Christiani, & patriam nostram Germaniam: eumq; oramus, ut dissipet gentes, quæ bella volunt; excubet ipse pro misero & imbelli grege suo; compescat furores Diaboli, & organorum huius, odio DEI & Ecclesie rabiosè furentium; servet puritatem doctrinae cœlestis, & honestarum artium studia: tueatur auctoritatem legum, & honestæ disciplinae vincula, ut in tranquillitate pacis & ocij, diu serviamus gloriae ipsius, & utilitati commodisq; hominum. In cæteris quoq; artibus ac doctrinis liberalibus, quæ vitæ & necessitati hominum subsidio sunt & adjumento, Medicinam nobis conservet: ut, quæ ipsius donum atq; inventum est, benignè communicatum hominum generi, ad sustinendam aliquandiu, & prorogandam hanc miseram & caducam vitã, donec ipse tanquam Imperator summus, quemlibet de statione hac decedere iubeat, pio ac placido vitæ exitu: quæ omnia, clemen-



O R A T I O

clementissimus DEUS, per & propter filium, Dn. nostrum Iesum Christum, Servatorem nostrum, benignè nobis largiatur. Amen. Ab his precibus & votis, postquam rei in præsentia gerendæ exordia cepimus: proximum est, ut, quò celebratius sit, quod deinceps exequendum est, aliquid pro consuetudine Scholæ, afferamus, quod à professione studij, in quo occupamur, non sit alienum, & erudita cognitione fortassis non indignum. Etsi autem multa in hoc genere occurrebant, de quibus dicendi daretur occasio: deligere tamen in præsentia placuit argumentum orationis, quod superiorum aliquot annorum decursus suppeditavit, passim in Germaniæ locis multis; quando contagiosis morbis, ijsq; non vnius generis, strages hominum editæ sunt, alicubi & jumentorum, aspectu tristi ac miserabili, justo autem iudicio DEI, peccata hominum vindicantis, eosq; ad poenitentiam hac lege revocantis. Disputant enim de re, philosophi ac Medici, causasq; sollicitè inquirunt, eius contagionis, qua morbi istiusmodi maligni & pestilentes, in homines, aliquando & in pecudes, tanquam incendio serpente, inferuntur, necessitate, quæ sæpè vitari nulla diligentia, nulla circumspeditione humana, potest. Ac in diversas itum est sententias, ut sunt rei omnis abditæ & retrusæ, aditus difficiles, viæq; ad hanc indagandâ, variæ ineuntur.

A 3

Tum

## O R A T I O

Tum verò difficultas hęc maior, ex eo quoq; obijcitur, quòd pauca de hisce tradita habemus, à veteribus; quibus res tamen incognita non fuit, ut postea dicetur. Unus nostra ætate, Hieronymus Fracastorius, Italus, vir Clariss., qui ob ingenij & virtutis præstantiam, & ob reconditam multiplicemq; doctrinam, statuam è marmore, cum laurea, in publico positam meruit, Veronæ in patria; hic ergo, primus viam ad hanc investigationem aperuit. Cuius ductum alij secuti, rem commentationibus suis augere & illustrare conati sunt, cum honorifica eius, à quo hæc accepissent, mentione. Et quidem notum ac sermone crebro vsurpatum est vocabulum Contagionis: res verò ipsa ita cognita & explorata non est: & digna tamen, in cuius naturam evolvendam eruditi incumbant. De hoc igitur argumento, dicam in præsentia, ac breviter quidem. Vos singulos ac universos, ea qua par est, observantia animi & humanitate peto, ut me benignè ac placidè audiatis. Sunt nonnulli in ea opinione, veteres contagionis vim & naturam ignorasse: quia nihil hac de re literis traditum, posteritati reliquerint. Atq; est, quòd suspicari tale quid liceat. Cùm enim de accurata Hippocratis & Galeni diligentia, in perscrutandis morborum omnium causis, ex ipsorum monumentis constet; mirum videri poterat, cur hac in parte,

O R A T I O

parte, operam & industriam desiderari passi sint su-  
 am, dum *ὡς ὁδὸν παραγγυον* hæc tractant, quando in illorū  
 mentionem inciderint. Sed si rem rectè estimaveri-  
 mus, frustrà de hoc veteres postulantur. Quid enim  
 frequentius apud illos occurrit, quàm Epidemiorum  
 morborum appellatio? quorum origo ipsis, à com-  
 munissima caussa est, nempe, à circumfuso nobis  
 aëre. Is ergo, pestilenti aliqua labe infectus, tum  
 ipse malum, *καὶ τὸ συνεχές* partium, latè in se diffundit;  
 tum spiritu haustus ab animalibus, postquàm hæc  
 inquinavit, spirituq; iterum ab iisdem redditus est,  
 contagione luem in alia atq; alia corpora, magno  
 numero vterius propagat. Ita Galenus, cùm insi-  
 gnis illius pestilentia Atticæ, cuius Thucydides me-  
 minit, & quæ poëtarum etiã carminibus celebris est,  
 caussam, in præcedentem aëris caliditatem immo-  
 deratam; & in corporum, ex victus prauitate habi-  
 litatem, ad suscipiendam putredinem pestilentem,  
 contulisset, addit, fortassis *καὶ σηπεδονίδη πνεύματα*,  
 hoc est, putrida quædam contagia, continenter ex  
 Æthiopia in Græciam fluxisse, aëremq; intermedi-  
 um infecisse, quibus *ἐπιήδεια* corpora accensa fue-  
 rint. Et *νοστέρι δὲ πύκνους* in Aëre, quid aliud est Hip-  
 pocrati, quàm prava exhalatio, morborum Epidemi-  
 orum mater aut seminarium? eaq; , totius substantiæ  
 proprietate potius, quàm primis qualitatibus, naturæ  
 ani.

## O R A T I O

animantium infesta. Aristoteles quoq; , pestilentes morbos celerrimè contagione concipi, ait, ab ijs maximè, qui infectis appropinquantes, eorumq; spiritum corruptum haurientes, *ὑπὲρ κενύμα* id est, fomitem secū in corpore afferunt, quo succendi facili momento, similis pestis in iisdem possit. Plura in hanc sententiam commemorare, haud operosum esset. Sed in re manifesta, longior esse nolo, ne soli lumen scæne nari velle videar. Proinde ad definitionem, & causas contagionis explicandas, pergo. Est contagio, motus quidam, Græcè *μίανσις*, hoc est, infectio siue contaminatio, à morboſo corpore, in aliud *ἀνάλογον* transiens, qua ei labes similis, qualis in primo est, per contactum quendam communicatur. Et continet eam labem transfertq;, seminarium pestiferum, quod plerumq; expiratio est, vel vapor, qualitate præditus, toto genere adversa ei, in quod illa transfunditur, & quod ab ea corrumpitur. Manifestum id facit usus in vita, quando in eadem domo, plures ab uno homine, contagioso aliquo morbo laborante inficiuntur, sexu, ætate, habitu corporis, temperamento differentes. Quod non aliunde, nisi à cōmuni aliqua causa existit, ab eodem nempe contagionis seminario, per inspiratum aërem, *ὑποστρέφει ἐπιπνεύσει*, ab ægro emanante imbutum, pluribus communicato: nulla etiam animi ægritudine, nullis curis, nullis vigilijs antecedentibus,

## O R A T I O

dentibus, à quibus tam subitum tamq; exitiosum ma-  
 lū accendi in hisce potuisset. Seminarium contagiosū  
 sive λοιμὸν ἀεργμα, nominatur: quoniam, quē admodum  
 semen de corpore decisum, facultatem à partibus ac-  
 cepit, generandi partes similes, vnde morborum hæ-  
 reditariorum origo est: ita hic vapor, de infecto cor-  
 pore promanans, ab eo eiusmodi δύναμιν adeptus est,  
 ut in aliud eiusdem naturæ & conditionis corpus de-  
 latus, consimilem in eo affectionem progignere, seq;  
 ita propagare valeat. Quod ad originem eius se-  
 minarij attinet, illud vel aliunde nobis advenit, com-  
 municatum contactus aliquo genere, ut in sequenti-  
 bus patebit: vel in nobis ipsis primordia sua cepit.  
 Nam & aliquid, veneno ἀνάλογον, in corpore nostro  
 procreari posse, Galenus non vno loco confirmat. Si-  
 cut ergo, à retento vitioso semine, aut ab ærugino-  
 sa vel atra bile, corruptio nascitur, vim veneni æquās:  
 ita potest in corpore humano, tanta, tamq; exitiosa  
 putredo gigni, quæ accensis venenata labe, humori-  
 bus & spiritibus, malum deinceps in alios dissemi-  
 net. Idq; magis fit, si homo semiputridis leguminibus  
 vel frugibus, aliterve corruptis cibus vesci; aut aquas  
 putridas vel infectas haurire, cogatur. Qua occa-  
 sione, nonnunquam ab vno homine, integros exerci-  
 tus, aut communitates hominum alias, lue pestilente  
 inquinatas fuisse, vsu compertum est. Nec mirum,

B

cor.

## O R A T I O

corruptelam tantam in corpore hominis existere, & donec accendatur, latere aliquandiu posse: cum tot in illo, & tam variae humorum confusiones, alterationes, adustiones, & putrefactiones contingant, ab ingluvie, à perturbationibus animi, à curis & vigilijs, à corporum inordinata commixtione, & ab alijs causis, tam internis, quam externis: simili ferè ratione, ut mali quidam homines, ex diversis rebus putridis, hominiq; exitiosis, venena parare solent, admodum lethalia, & quæ citius tardiùsve eos, qui hisce infecti sunt, interimant. Cæterum, oportet illa contagiosa semina primùm tenuitate substantiæ esse prædita, ut expeditè penetrent, & in alia se penitus condant. Deinde, forti ac durabili partium, ad minima fractarum, mixtione, constituta esse, ne in trāsitu medio dissoluantur, aut ab obuijs alijs corporibus immutentur: Quam ad rem quædam illorum *γλιερρότης* requiritur, quâ, & ipsa firmiter inter se nexa sint: & tenaciter ijs, quæ prehenderunt, adhæreant, atq; ita iusta mora, vim maleficam in eadem imprimant. Diffundunt autem se circumquaq; seminaria illa, ad longum intervallum, multiplicata in aëre: non aliter, atq; qui è cæpa, aut raphano maiore, halitus acres & mordaces exeunt, è longinquo lacrymas nobis eliciunt: qui è pipere, sternutamentum. Principium motionis, partim à se habent, ut est vaporis  
 omnis.

O R A T I O

omnis natura, sursum ferri, quod evidenter in fumo, ab accensis lignis egrediente, conspicitur : partim ab alio, à quo in latus & deorsum trudentur. Fit hoc, dum in obfistentem aërem, vel solidum aliquod corpus illisa, inde repelluntur : sibiq; mutuò succedentia, continenti tractu, posteriora semper, priora à tergo impellunt, donec amplum spacium repleatur. Et ipsiq; aëris ea natura est, ut fumos vel vapores sibi mixtos, innumerabili divisione comminuat: quo & ipso, longissima spacia, à noxijs illis occupari, contingit. Sic ergo diffusa in Aëre seminaria contagiosa, postquam corpora animantium attigerunt, in ea sese inferunt, vel ipsa penetrantia, per poros cutis, subtilitate sua; vel quod similis vero est, hausta, sive oris spiritu, sive arteriarum pulsatione. Vbi verò unà cum aëre, hostis ille vitæ intrò pervasit : in viscera & vasa omnia se recondit, suòq; veneno spiritus & humores, partesq; principes, ac totum deniq; corpus, inquinat & labefactat. Atq; hac ratione, ex non mediocri etiam intervallo, semina contagionis, vaporis specie dispergi, alijsq; communicari solent. Ad multum autem distantia loca, ad quæ ἀνεθυμίασιν seu evaporatio ipsa pertingere non videtur, quomodo illa diffundantur : id verò dubitationem non exiguam habet. Sed & hîc rem explicari posse putant, per vapores, in minutissima corpuscula sensumq; effugientia fractos,

B 2

qui,

## O R A T I O

qui, sobole quasi novâ, continenter ad alia atq; alia loca, longissimo tractu propagatâ, multiplicentur in aere, ventorumq; vi propulsi, viribus in itinere non deficient, quia partes illorum, in forti ac tenace mixtione, & in lenta ac profunda putrefactione, constitutæ & fundatæ sint. Alij, cum difficultatem, hisce haud quam tolli existiment: ad species incorporeas confugiunt, quas intentionales scholæ, & qualitates spirituales appellant. Sunt eæ, vis quædam à corpore decisa, & diffusa ac multiplicata in aëre: sicut à magnete, non vapor transit per aërem, sed species quædam, hoc est, virtus formæ magnetis, qua ferrum ex intervallo attrahitur. Ita ergo speciem incorpoream, hoc est, vim à vapore pestifero decisam, longissimè ferri volunt per aërem, à qua, mole auctâ, obvia corpora afficiantur. Quia verò utraq; sententia suas <sup>evsionis</sup> habet, & dubitatio semper relinquitur, quo tanquam vehiculo, eoq; non deficiente, vis seminarij, in exteras longèq; disitas terras, etiam trans maria, feratur: cõsentaneum est, plus hîc posse contagionem, quæ fomite (ut nominant) propagatur: quàm quæ per longinquum aëra. In quo fomite, cum virus menses multos, etiam annos aliquot, reconditum vigere possit: ipso in alia loca translato, ibiq; citra suspicionem periculi agitato & tractato, alios infici & fædari, minimè obscurum est: etiamsi illius fomitis vbi veteres

expressè



O R A T I O

expressè meminerint, non facilè occurrat. Et hoc eti-  
 am verisimile est, tempore pestilentiaë, plures, hausta è  
 propinquo, ab infectis ipsis, aut à fomite, contagio-  
 ne interire: quàm accepta, ab aeris longinquioris  
 inquinamento: quæ longius persequi hoc loco, non  
 libet. Qualitas, quæ seminarijs contagiosis  
 inest, & quam in alia expromunt, maligna est, natu-  
 ræq; animantium, totius substantiæ proprietate, in-  
 sensa: ortum habens, à putredine, non ea quidem sim-  
 plice & leui, sed insigni, sordida, tenace, & profunda,  
 quæ in totum mixtum se infert, idq; labefactat & cor-  
 rumpit. Accedit ad putredinem hanc excellentius  
 quid & occultius, quod eos effectus in morbis conta-  
 giosis profert, quos nulla putrefactio simplex gignere  
 posse videtur: quod occultum, à cælo & sideribus est,  
 ut in sequentibus docebitur. Sed quæ, & quot sunt  
 contactus genera, per quæ illa *πνεύματα λοιμώδη*, de qui-  
 bus jam diximus, in alia atq; alia corpora traducun-  
 tur? Contactus, qui rationem causæ habet, sine qua  
 contagio sive infectio non fit, quidam immediatus  
 est, quando duo corpora, nullo alio interveniente, se  
 tangunt, accubatione vel cōtrectione: vnde proxima  
 est, eaq; gravissima, mali cōmunicatio. Cernitur id in  
 pomorum aliorumq; fructuum aceruis, ubi à putre-  
 scente vno, proximum labem contrahit, vapore pu-  
 trido, qui à primo exhalatus est, in alterum recepto:

B 3

Vuáq;

## O R A T I O

Vuáq; contactâ livorem ducit ab vuâ. Evidentior res est, de eo qui cum infecto scabie, aut lue venerea (quæ in aperta & nuda parte corporis hæret) aut peste, in eodem lecto cubat: qui & per cutis *stomolus*, & per oris spiritû, & per sudorem, & per affriktû deniq; corporis, ab illo inquinari potest. Alius contactus mediatu est, qui vel per fomitem inficit: vel per Aerem, è distante intervallo. Fomitem intelligimus, quicquid aptum est, ad contagionis seminarium, ab infecto excipiendum retinendumq;: atq; iterum, tanquã posthumû foetum, etiam longo post tempore, in aliud expromendum, quod simili vitio contaminetur. Eiusmodi sunt: limum, lana, gossypium, sericum, pelles, & quæ ex his conficiuntur vestimenta: lecti item, stragula, libri, supellex lignea domestica, & rara, laxa ac porosa alia; quæ, ut subeuntes quosq; odores ac fumos, ita & halitum vimq; contagiosam ac pestilentem, promptè excipiunt, diu retinent, & facilè in alia diffundunt. Et coriorum pilis susceptum venenum, canes felesq; transportant sæpenumerò in alias ædes, easq; hac ratione inficiunt. Quin imò parietes & lapides in ædificijs, vicem fomitis contagiosi præstare posse, ex ijs constat, quæ de leprosis domibus dignoscendis purgandisq;, in Moyse leguntur. Quarum infectio, nonnunquam ita gravis & funesta erat, ita ædes universas peragraverat, ut ne eratis quidem  
lapi

O R A T I O

lapidibus illis, rasisq; parietibus, virus profligaretur: sed tota ipsa ædificia destrui, & rudera in locum, ab hominibus remotum, ne alijs contagione nocerent, convehi necesse esset: de cuius insignis & admirandæ infectionis causis, nunc non disputamus. Præterea, fomes idoneus & efficax, id corpus redditur, quod suscepto veneno, in loco asservatur, neq; calido nimis, neq; nimis frigido; neq; in tali etiam, qui aeri libero & patenti sit expositus: aliâs, quod intus conditum latet, vel qualitatum excessu, vel aëris commotione, ventorumq; flatu, paulatim dissipabitur. In huiusmodi ergo fomitem, qui inciderit, eoq; contractato vel agitato, excussum quasi è latebris venenum, spiritu hauserit: eum nullo negotio infici & cõtaminari posse, certum est. Ita sæpè usu venit, ut de conclusis, in loco infecto, multosq; annos servatis vestimentis aut lectis, dum innoxie jam tractari existimarentur, totæ domus & familiæ accensæ fuerint, malo in multos alios postea crudeliter sæviente: cuius rei exempla, nemini non cognita esse arbitror. Et proinde sapienter cautum est, in nonnullis Rebus publ.; ut supellex omnis, domus primum infectæ comburatur, & hæredibus de publico satis fiat. Quæ autem solida & densa sunt corpora, vicem fomitis non facile gerunt: siquidem ob *συστασιον* duram & compactam, alienas euaporationes & qualitates non ad-

mit,

## O R A T I O

mittunt. Et proinde, qui à contrectatis numis, lumen concipit; non tam à metallo id habet, quàm à sordibus, quæ ex infectorum manibus illi adhæferunt. Per Aërem deniq; etiam longinquum, contactus inficit, quando vaporibus is imbutus est putridis, malignis, venenatis pestilentibus. Quos, qui in illo versantur, evitare nequeunt, nisi arte aër ille corrigatur: sicut Hippocratem, accensis per civitates Græciæ ignibus, fecisse, Galenus commemorat, in libro de Ther. ad Pisonem. Cæterùm aer, non solùm medium est, per quod delata pestifera semina, alios cōtaminant, ut jam de tertia contactus specie diximus, & suprâ eiusdem rei meminimus: sed ipse quoq; seminarium tale efficitur, & per se inficit, cùm eius indefinenter hauriendi necessitas, animanti ad vitã producendam, incumbat. Ac vitium Aër contrahit, à causis vel superioribus, vel inferioribus. Superior causa sunt, cælum & sidera, vel siderum potius certa constitutio. Agunt hæc in Aërem, vel per manifestam eius in primis qualitatibus immutationem, quãdo is à naturali statu suo, vi siderum ad immoderatã, sive caliditatem & humiditatem, sive ardorem & siccitatem, convertitur: aut inæquales tempestatum mutationes vicissitudinesq; diutius sustinet: vnde pravis & putridis multis vaporibus repletus, & ipse corrumpitur, & corpora animantium labe contaminat sua.

Hæc

O R A T I O

Hęc iacula illa sunt, sive βέλη ἐχέπικη, quibus in exerci-  
 tum Græcorum ad Troiam, ab Apolline missis, pe-  
 stilentiam magnam, inter animantia primùm, po-  
 stea & inter homines exortam fuisse, Homerus canit:  
 innuens radios Solis, quorum calore inusitato, aër vi-  
 tium conceperit. Vel citra manifestam in quali-  
 tatibus notis ἀλοιωσιν, citraq; putredinem, sidera in aë-  
 rem agunt, tacito & occulto quodam inquinamento:  
 quod τὸ θεῖον Hippocratis est in morbis, communem  
 malignitatē, exitiali vi sua longè superans. Qua ratio-  
 ne fit, ut interdum morbi contagiosi & pestilentes  
 existant, media hyeme, quod tempus aliàs ad sim-  
 plicem aëris corruptelam producendam, minimè ac-  
 commodatum est. Ex hoc genere, non temerè quis  
 dixerit, fuisse pestilentiam illam Atticam, de qua  
 Thucydides expressè scribit: apparuisse in ea, ἀλλό τινος,  
 ἢ τῶν ξωτερόφων τίνος; ut præter vulgarem & consue-  
 tam pravitatem, conceptam in aere, ex stagnanti-  
 um aquarum putredine, quam præcipuam causam  
 Diodorus Siculus affert, aliquid tetrius & virulenti-  
 us illi accessisse, significaret. Talis etiam fuit, quæ  
 anno Christi 1345 incipiens, totum quinquennium  
 tam immaniter grassata est, ut tertiam hominum  
 partem, passim in Europa absumsisse scribatur: etsi  
 suspecti de hac fuerunt iudæi, quasi infectis veneno  
 fontibus, eam concitarint, atq; hoc nomine, multi

C

cremati

O R A T I O

cremati fuere. Et cuius Procopius meminit, quæ sæpè vna die, 10000. hominum iugulauit, in vrbe Constantinopolitana. Duæ item pestes insignes, quas sua ætate, Galenus totam Europam depopulatas fuisse, literis prodidit. Et nos meminimus, cuiusmodi malum Epidemium, per vniuersam Europam, magna celeritate peruagatum sit, ante annos nunc viginti: quod a symptomatibus, quibus sese prodebat, grauedo anhelosa cum tussi, ab eruditis nominabatur. Febris erat, grauior aut leuior, pro corporum diuersitate: accedebat capitis grauitas, cum molesta ad pectus destillatione, vnde cordis pulmonūq; angustia, & tussis vehemens: sitis aderat exigua, ἀνοξεία summa, lassitudo & imbecillitas corporis magna: quæ symptomata pleraq; febre quarto plurimum die cessante, aliquantò post tamen durabant. Originem illi malo, ab aeris corruptione fuisse, profecta è cælo, & ἀναλογίαι ad cerebrum in primis habente, multa sunt, quæ persuadent. Neq; enim inquinamenti talis semina, ex inferioribus orta, in aere tunc præcelsisse, animaduersum fuit. Et malum hoc velocissimo gradu, per tot regna pertransijt: quod tam subita, per contactum alium propagatione, factum non videtur. Cursum item suum tenuit, peragrando continenti gradu omnem terram, ab occidente in orientem, iniens ab hyeme,

## O R A T I O

hyeme, per cætera deinceps anni tempora: in aëris constitutione calidiore & frigidiorè, flante Borea vel Austro, cælo tam sereno quam pluuioso, qui effectus verisimiliter à primis qualitatibus non producantur. Quia verò leuis erat Aeris corruptio: plures attigit, quam iugulauit: cum è præcedente regione diuertens, eam paucorum dierum intervallo, sinceram planè à labere relinqueret. Ab eadem hac superiore causa, nonnunquã populares dysenterias, pleuritides, ophthalmias, febres malignas, aliosq; in vulgus grassantes morbos, gigni: multorum annorũ vsu comprobatũ est, & res exemplis doceri poterat, si id agere nobis in præsentì proposito esset. Ostendimus hisce, quo modo Aer, à cælo & sideribus corruptionem subeat: nõ quidem, quòd per se, nobilissima illa corpora id efficiant: sed quia in materiam agunt, corruptioni tali obnoxiam: sicut artifex egregius, in organo Musico, vocibus non rectè aptato, dissonantiæ autor fit, non sua culpa, sed instrumenti vitio. Et cuiusmodi, de cælo ferreo, & de terra ænea, in sacris literis comminationes extent, notius est, quam vt referri debeat. Videamus nunc, qua ratione Aer, ab inferioribus causis corrumpatur. Id fit, quando exhalationes foetidæ, putridæ, aliterve corruptæ, in aërem emittuntur, è terra, aquis, cadaueribus: qua-

## O R A T I O

rum commixtione labefactatus ille, integritatem suam bonitatemq; amittit. Sæpè enim contingit, vt aura pestilens, ab interioribus terræ exhale- tur; sive è fodinis metallicis, aut puteis venenatis, il- la prodeat; sive è stagnantibus sub terra aquis, quæ lumine Solis, & motu omni destitutæ computruerunt, resoluatur. Ab aëre item, sub terra diu concluso, pestem nonnunquam existere, docent, quæ in historia Imperatoris M. Antonini Philosophi leguntur. Cum enim milites Auidij Casij, dire- pto Apollinis templo, in Seleucia Babylonix, ar- cam quandam, in abdito remotam, aperuissent, ra- ti, se aurum in ea reperturos esse, lethum inde ab- stulerunt, occasionemq; dederunt pestilentix sæuis- simæ, quæ translata in Italiam, maximam homi- num multitudinem sustulit. Et à Terræmotibus pestilentiam sequi, compertum est: quando teter va- por, qui longo situ & æterna quasi nocte, in pro- fundo torpuit, exitum iam inueniens, aërem purum inquinat; quod Italiæ aliquoties accidisse, memo- riæ & literis proditura est. Nec de Aquis dubium est, quin è stantibus ijs, qui lacus & paludes sunt, exhalationes tetrix ac putridæ eleuentur, æstivis tra- ctæ caloribus: ac præcipuè, si in ijs linum aut can- nabis antea macerata fuerint, vnde foetor abominan- dus est relictus. A cadaveribus deniq; interfecto- rum



rum in prælijs, & non humatorum, aërem sæpenu-  
mero infici, ita notum est, vt confirmatione non e-  
geat. Quæ infectio, & à locustis mortuis fieri  
potest: sicut Africæ contigit, anno vrbis 629: & Gal-  
liæ, anno Christi 874. Ac nostra ætas aceruos e-  
iusmodi locustarum vidit, tetrum odorem exspiran-  
tes, quem & aves declinabant, nullo tamen gravi-  
ore inquinamento inde producto.

Diximus, quid sit contagio: quod, & quale eius  
seminarium: & quo modo illud, ab vno in plura di-  
spargatur. Restat dicendum, de contagionis, &  
seminum huius, ad alia atq; alia corpora, ἀναλογία.  
Ex quo patebit, quæ fiat, quòd non omnes æquè, qui  
in eodem infecto loco habitant, lue contagiosa cor-  
ripiantur: & cur arboribus, satis, animalibus, sua sit  
quædam pestis, nullam, ijs, quæ diversi generis sunt,  
calamitatem importans. Consistit ἀναλογία illa,  
primùm in occulto totius corporis, & cordis potissi-  
mùm temperamento. Qua ratione fit, ut inter con-  
sanguineos, facilimè malum aliquod pestiferum &  
funestum cõmunicetur. Cùm enim ab eadem, plu-  
res procreati sint stirpe; communem cum illa, &  
inter se naturam obtinent. Quod igitur vni illo-  
rum, aduersum est; id & cæteris plerumq; noxium  
redditur & perniciosum: nisi ἰσοσυνηγορία in aliquo  
faciat, ut fortius eiusmodi causis aduersis infensisq;

O R A T I O

resistat. Deinde multum ad hanc rem potest, temperamentum corporis manifestum. Quæ enim corpora calida & humida sunt, pravisq; humoribus referta: ea, ut putredini magis sunt obnoxia, ita & malignitatem ex hac ortam, promptius excipiunt. Præterea, quæ multum exercentur corpora, atq; ita frequenter & copiosè inspirant; ea facilius inficiuntur, haustis unà cum aëre, contagionis seminarijs. Quæ omnia in pueris, evidentia sunt & perspicua. Quod verò rarum & laxum sua natura corpus est, etsi non parum de aëre externo, per patentes cutis arterias intrò subiens, excipit: hoc ipso tamen, quàm densum & astrictum corpus, meliore est fortuna, quòd exitus in raro corpore, apertus patet fumis intus collectis: à quibus nimirum expurgatus calor naturalis, fortius & alacrius adversus externas injurias insurgit ac præliatur. Tum etiam concepta pestis seminaria, citius & facilius è raro, quàm è denso corpore expelluntur, ope alexipharmacorum, per sudores, per *ἔδηλον τῆ αἰδήσει διαπνοῶν*, per hæmorrhagiam narium, per alui purgationem, & similia præsidia, quibus eiusmodi contagia profligari solent. Quod de hominum genere attulimus, & de *ἀναλόγω* huic contagionis seminario: id sua ratione, de cæteris animalibus, & de arboribus quoq; ac segetibus, accipiatur. Servat enim vapor pestilens suam originem

O R A T I O

ginem, & quam naturam, huic vel illi animali, stir-  
 pi, segeti, adversam & exitialem, à primo infecto  
 adeptus est: eam, ad eiusdem generis alia, non mu-  
 tatam transfert. Ut hîc etiam locum habeat, quod  
 Hippocrates pronunciat, in libro *περὶ φουσῶν*, cùm  
 inquit: differt corpus à corpore, ac natura à natu-  
 ra: nec omni animantium generi, eadem obsunt,  
 vel prosunt. Ita fit, ut quando aër inquinamentis ple-  
 nus est, quibus natura humana offenditur, homines  
 ægrotent: quando alteri cuiquam animantium ge-  
 neri aër est *ἀνάσματος* & inconueniens, morbus ge-  
 nus illud corripit. Hactenus Hippocrates. Qua-  
 propter pestilentiae observatae sunt, quae solos boues,  
 aliae quae sues aut oves, aliae quae gallinas jugulâ-  
 runt: quod ex annalibus docere, difficile non erat.  
 Meminit pestis, quae pecudes interemit, Virgilius,  
 hoc eleganti carmine, in Georg.

*Hic quondam, morbo caeli, miseranda coorta est*

*Tempesta, totoq; Autumni incanduit aestu:*

*Et genus omne neci, pecudum dedit, omne ferarum,*

*Corrupitq; lacus, infecit pabulo tabo. Et superioribus*

*annis, passim eam stragem bouum sensit Germania,*

*& vicinae regiones aliae: cùm homines, & caetera ani-*

*mãtia, immunia à pestifera cõtatione degerent. Non*

*solum autem analogia contagionis est, corporum ad*

*corpora, in suo quorumq; genere, ut modò ostens-*

*sum*

O R A T I O

sum est: sed etiam membrorum, ad membra. Quo-  
 fit, ut lippitudo contagione sua oculis noceat, mem-  
 bro alij nulli: phthisis pulmoni, scabies cuti corpo-  
 ris, alopecia & achores cuti solùm capitis. Quip-  
 pe, quæ in vnoquoq; horum, facta est corruptio; ea  
 simul aliquid traxit de peculiari membri illius natu-  
 ra, qua ab alijs membris dissidet: cuius, tanquam  
 seminarij vi, infectio, ob similitudinem, ad idem  
 membrum in alio corpore transfertur. Deniq; a-  
 lia contagio promptius in humores corporis invadit,  
 alia in spiritus, quod in febribus contagiosis potissi-  
 mùm apparet. Sicut ergo in cæteris, quæ motu ali-  
 quo efficiuntur, certa analogia requiritur, inter a-  
 gens & patiens: ita & in contagione idem fiat, ne-  
 cessum est. Nam & in hac, id quod infici debet, *ἡ  
 ὑδεία* ad hanc actionem excipiendam, habere o-  
 portet. Quæ aptitudo in eo consistit, ut *τὸ πάχον*  
 simile sua natura atq; cognatum sit ei, cuius actio  
 seu impressio ipsi sustinenda est: utrumq; verò, & *τὸ  
 ποῖον*, & *τὸ πάχον*, dissimile & contrarium sit semina-  
 rio illi pestifero, quod propagatur. Vt, quemadmo-  
 dum seminarium hoc, proprietate sua, à forma pro-  
 cedente, inimicum est agenti seu inficienti, idq; læ-  
 dit ac destruit: ita & adversum sit corpori, quod pa-  
 titur, & in quod labes infertur. Quòd vero pa-  
 tiens idem, imbecillius quoq; esse oporteat, in resi-  
 stendo

## O R A T I O

stendo agenti: & quòd debita applicatio, iusta q; mo-  
 ra contactus ex applicatiõe, necessaria sit: id indica-  
 se, fortassis supervacaneum fuerit. Etsi autem, quod  
 contactu quocunq; communicatum est seminariũ,  
 diu nonnunquam in corpore animantis delitescit, ut  
 in morsis à rabido cane, patet: tamen, qui pestis fo-  
 mes hæret in corpore, intra quadraginta dies ad sum-  
 mum se prodit: quanto tempore etiam, aut non mul-  
 tum brevior, seorsum teneri solent, qui de infectione  
 sunt suspecti; cum ante id tempus, periculo omni,  
 quod à talibus afferri possit, non defuncti sint ij, ad  
 quorum commercia illi admittuntur. Exposui,  
 ut potui, quæ mihi de argumento in medium alla-  
 to, dicere constitutum fuit. In quo, etsi non pau-  
 ca occurrunt, quæ mentem, altius hæc indagantem,  
 dubitatione suspensam tenere possunt: tamen con-  
 tenti ijs simus, quæ multo labore, magna q; indu-  
 stria, & successu non infelici, inventa de his sunt &  
 tradita, à Viris Claris. Cumq; in vltiore etiam  
 harum rerum investigatione, tamen subsistere cogamur:  
 fateamur, quod res est, aciem mentis nostræ lō-  
 gè vinci ac superari operum divinorum excellentiæ  
 & maiestate. Ut enim notissimum, ita verissimum est,  
 quod à summo Philosopho, Peripateticorum princi-  
 pe, pronunciatum est: difficultatis eius, quæ in invest-  
 gatione Naturæ rerum offertur, causam, non in rebus  
 D iplis,



O R A T I O

ipsis sed in nobis, sitam esse. Quemadmodum enim noctuarum oculi, ad lumen diurnum affecti sint: ita mentem nostram, ad ea, quæ in natura etiam clarissima sunt, caligare & cæcutire. Teneamus ergo, quod mediocri cognitione erutum est, ac in lucem prolatum, ex Naturæ obscuritate: & hæc admiranda sapientiæ DEI vestigia, quæ ubiq; in mundo, sese oculis & animis intuentium ingerunt, aspiciamus: DEVM mundi opificem & moderatorem, grati celebremus, illa nobis exhibentem: atq; ijs, quæ monstrata & explicata sunt, ad ipsius gloriam, & ad hominum salutem atq; emolumentum utamur. Cætera abstrusiora, verecundè attingamus: aut de ijs ita disseramus, ut appareat, nos DEI sapientiam & potentiam infinitam, nostræ solertiæ ac perspicientiæ longissimè anteferre.

D I X I

PETI

# PETITIO AD DECA- num,

*D. Iohan. Iessenium.*




**SPECTABILIS DN. DECANE,**  
Vicecancellarie dignissime, collega honorande:  
Sapienti consilio institutum est à maioribus, ut,  
quemadmodum in castris militaribus, & panegyricis  
certaminibus, *ἐξ ἁβέαι καὶ ἐπιχειροῦ* virtutis, tribuunt  
ijs, qui præclare vicerunt: ita & in hac togata & scholastica  
nostra militia, titulis honorum ornentur, qui egregiam ope-  
ram, in optimarum artium ac disciplinarum studijs posuerunt.  
Rectè enim ab Aristotele, *ἡ τῶν ἀρετῶν ἐξ ἁβέαι* nuncupatur. Et  
his honorum præmijs, alij ad ingrediendam eandem virtutis  
ac eruditionis viam, tanquam stimulis admotis, excitantur.  
Sicut & hoc scitè ac eleganter dictum est à M. Tullio: Honos alit  
artes, omnesq; incenduntur ad studia, gloria: jacentq; ea semper,  
quæ apud quosq; improbantur.

Ab hac igitur antiqua & laudata consuetudine, collegium  
nostrum, in presenti quoq; sibi minimè discedendum esse, iudica-  
vit. Cumq; hi sex Candidati nostri, Viri Doctissimi, hisce die-  
bus, publicè & privatim, egregium eruditionis suæ specimen  
ediderint, suumq; progressum in cognitione & usu artis Medi-  
cæ, Collegio nostro abundè probaverint: Et ab eodem digni  
judicati fuerint, qui hodie summis professionis nostræ orna-  
mentis decorarentur: his de causis, maiorem in modum, à tua  
spectata Dignitate peto, & meo, & ipsorum nomine, ut pro au-  
toritate tibi concessa, potestatem mihi facias, sententiam colle-  
gij nostri exequendi, hisq; Candidatis insignia Doctoratus, quæ-  
admodum reverenter petunt, conferendi. Quo nomine, tua spe-  
ctata Dignitas ipsos & sibi, & toti nostro ordini, ad fidem & per-  
petuam grati animi memoriam obligabit.

D 2

DECA-

DE CANIFACVL  
TATIS,  
D. IOHANNIS IESSENI,  
RESPONSIO.

 *V*Æ N V N C, H O N O R A N D E D N.  
Collega, vir Clarissime, hoc in loco de contagio,  
eruditâ simul oratione & brevi, disseruisti, ea  
nobilissimæ coronæ huic auditu periucunda fuisse,  
vel summa totius confessus attentio testatum fecit maximè,  
adeo, ut, si ex meipso cæterorum quoque desiderium æstimare  
liceat, crediderim ego facile, omnes, quotquot hîc frequentes  
adsunt, non ab alio, quam ex teipso, contagio oppositum a-  
muletum, lubentiùs audituros. Cum enim, iuxta Ecclesia-  
sticum, omnia Altissimi opera intuenti, unum contra unum,  
& duo contra duo, constituta occurrant, ita ut desideretur  
nihil; certè & huic tam sævo malo, à natura idoneum ex-  
cogitatum remedium planè existimabitur, ac proinde de eo i-  
pso erudiri, seriò quisque gestiet. Verisimile equidem est, hoc  
tam nobile amuletum ad vitæ lignum, diuinitùs plantatum,  
quondam in paradiso germinasse, veluti & hodie eiusdem  
succedaneum superesse, haud difficulter crediderim, quanquam  
ignotum, hætenusq; mortaliū nulli compertum, singulari  
forsitan D E I consilio, cui visum, celare istud genus homi-  
num, quo satis horribili quodam supplicio & immedicabili  
malo,



R E S P O N S I O.

malo, non aliter ac olim iudaicus populus leprâ, ceu flagello  
 DE I singulari & proprio percussum, inevitabiles gravius  
 metueret DE I manus. Quapropter alexiterium simplex  
 & germanum quod nomines, credo te non habiturum; ve-  
 luti & eandem ignorantiam palam profiteri mecum coëgit  
 omnes, quotquot in Medicorum unquam vixere familia. Ni-  
 bilominus tamen nosti, & consensus est inter omnes maxi-  
 mus, humanam industriam, in hoc quoque scrutando remedio,  
 progressam esse longius, quam ab initio polliceri sibi quis-  
 quam potuerat. Ex ijs enim medicamentorum generibus,  
 quæ bestiarum morsibus, epotisq; venenis adversari, periculoq;  
 liberare comperissent, analogismo quodam, pestilentibus con-  
 tagionibus, quæ per se haud venena sunt, quaedam opponere  
 instituerunt. Ita Mithridates Ponti Rex, Varijs e medi-  
 caminum speciebus, auream illam confecit antidotum, suo no-  
 mine Mithridatium dictam, cuius quotidiano usu ita corpus  
 firmavit suum, venenisque reddidit innoxium, ut victus, in  
 Pompeij manus vivus ne incideret, acerrimo veneno hausto,  
 voti tamen compos non factus sit. Hanc compositionem An-  
 dromachus senior, aliquot remedijs alijs auctam, Theriacæ  
 nomine indigavit. Quo in Pharmaco, quantum nobis spei  
 situm sit, quantum expertum semper in omnibus morbis be-  
 neficium, demonstrare alterius loci est & temporis. Vnum  
 in præsentia admonuisse satis sit, in contagiosis & pestilen-  
 tibus affectionibus, ad hanc veluti sacram anchoram unice  
 nos confugere, eamq; præsentissimæ divinæ manus nomine

D. 3

feliciter

D E C A N I

feliciter quandoq̄ experiri. Theriaca huius artificiosissima  
 compositio, aliarumq̄ regula confectio, quia in sex ingre-  
 dientium distinctas classes digesta, occasionem mihi præbet,  
 ad hos Candidatos numero sex, orationem meã convertendi,  
 Et è classe singulã, singulis, simplex aliquod, allegoricè expli-  
 catum, moribusque applicatum, exhibendi, quo per totam vi-  
 tam, ceu signo quodam gentilitio, actus huius admoniti, of-  
 ficij sui recordentur. Et primò quidem tibi, MELCHIO-  
 R I Ö S T E L I, Collega Et compater amicissime,  
 SCI LL A M è primã classe insigne tribuo, quæ cæ-  
 pe marina est, apud gentiles in Lunæ honorem culta,  
 quòd dissecta ea, multiplicem Lunæ effigiem, Et, quas  
 Græci Φάρμακον nuncupant, omnes eiusdem ostendat variatio-  
 nes, sive ea curvata sit in cornua, sive æqua portione divisa,  
 sive protuberet, sive quotidiana facie varia sinuetur, nunc  
 immensa sit orbe pleno, nunc repente nulla. Habet autem cæ-  
 pe hoc peculiare, iuxta Plutarchum, ut revirescat Et conger-  
 minet, decedente deficienteq̄ paulatim Lunã; contrã autem  
 inarescat, adolescente, quasi ipsa pro alimento corpus exponat  
 suum. Quo admonere hieroglyphico, illius, quod Et alicubi  
 Galenus habet, quedam ex cælo petenda esse Medico, nempe  
 in affectionum præter naturam scrutatione, morborum scilicet  
 causarumq̄ meditatione, item pro eventus ægritudinũ præmo-  
 nitione, in curatione deniq̄ ipsa cælestiũ corporum æconomi-  
 am diligenter consulendam. Inferiora n. hæc omnia à supernis  
 corporum lationibus gubernari, Et autoritas doctorum omni-  
 um est,

R E S P O N S I O

um est, & ad sensum quotidiana experientia convincit; in primis verò lunæ, corporis celestis vicinioris, & reliquorū astrorum quasi speculi, mutationes & vim, cum & apertius persentiscamus & frequentius, ipsius motus observandus accuratius est. Quò autem felicius præstare cuncta queas, ad hanc te attentionem Scilla memoria excitet, quæ acrimonia sua, ut sensus præstat perpurgatos, ita ingenium reddit solers & vegetum, quæ solertia Aristoteli lib. 2. post: perspicuitas quædam est, per quam cuiusq; rei medium, causaq; exquiritur. Sequeris iam tu DANIEL TORSCHMIDT, cui è Theriacæ classè altera, per me, VIPERA nuncupatur, quæ ex serpentium familia est. Hos Romani, perinde ac Græci & Aegyptij, significatu quodam sancto colebant, in Aesculapij decus. Certè boni ominis imaginem, & Moyses ipse erexit serpentem. In nummo quodam M. Aurelij Severi assurgens anguis, cum hac spectatur inscriptione: SALUS PUBLICA. Et Aesculapium sub anguis specie, Romanorū legatorū navem ingressum, cum ipsi Epidaurum, adversus pestilentiam opem imploraturi adnavigassent, sunt qui scribant. Idcirco & tu hieroglyphico isto commonetor studij boni publici, quod demum præstiteris felicius, si consilium adhibueris, & germanam serpentibus prudentiam, quæ Aristoteli lib. 6. Eth. habitus quidam est, vera ratione ad ea agenda idoneus, quæ vitæ hominum conducunt vel obsunt. Ordo te attingit, TOBIA TANDLERE; Decerpe igitur, si lubet, è classè tertiâ ROSAM. Nosti

D E C A N I

Nosti proverbium istud, ROSAS LOQUI, hoc est, de re gratissimâ jucundissimâq;. Hinc Maro VENEREM roseo ore loqui inquit. Norunt hoc puellæ, quæ, dum flores legunt, studiosius rosas sectantur. Inesse gratiæ significatum rosis, ex Indorum monumentis accipimus, quorum Magi rosam tanti fecerunt, ut ad conciliandos magnorum Principum animos, non alia re libentius, quàm rosis uterentur. Pallas Ulyssi in Phœniciam appulso naufrago, oleum roseum attulisse perhibetur, quo perunctus ille, omni deterso squalore, dignior apparuit & venerabilior. Unguentum istud Troianis temporibus usurpatum, inde constat, quòd cadaver Hectoris à canum iniuria, quibus id Achilles obiecerat, inoffensum perstiterit, à Venere roseo oleo inunctum: Quid de Apuleiano asino dicam, non prius in hominem reverso, quàm rosam attigisset? Est insuper, veluti odoramenta omnia, sic & rosa, bonæ famæ & existimationis hieroglyphicū, quam parat cæteras inter virtutes præcipuè humanitas, quæ rectè ab homine usurpat nomenclaturam, estq; facilitas quedam convivendi bonis cum omnibus: cui dabis sedulo operam, indeq; præmium expectabis Gratiam. Te iam compello, CASPARE HORNN; atq; en, ex quarta classe, COSTUM habe, quo Veteres, teste Plinio, cum thure sacrificabant. Iam ergò quid mihi velim huius mentione, ultrò intelligis. Pietas, est maxima virtus, sanctitas Platoni, & quedam cum DEO amicitia. Hanc in primis cole, sit tibi & Reipublicæ exoptas felix esse, & sentire divinum in operis medicis auxili-

um.

R E S P O N S I O

um. Promiscui generis ut costus est grammatici, sic te posthabito dignitatis vllius respectu, egenorum tam, quam qui gratias re prestare & referre possunt diuitum, medicum esse existimato, nec tantum dulcis, sed & amari costi degustatorem. STEPHANE MARCELLE tibi TERRA debetur, occasione ingredientis classem quintam, SIGILLI LEMNII. Angelica virtus humilitas est, quam prisci per Terræ imaginem representarunt, veluti diabolicum vitium insolentia, dijs hominibusq; inuisa. Exemplo est Menecrates, medicus ille ambitiosissimus, & ob id à Rege Agesilao justissimè irrisus delususq;. Affinis humanitatis, imò potiùs soror est humilitas, sensus quidam de se suisq; factis moderatus; Huic stude. Tandem ad te venio BASILI PLINI; cumq; tibi circa patientes, res in posterum esse debeat, ipsos aliosq; ut feras, ipse esto patiens injuriarum. Persuadeat istud tibi è classe vltima donatus FIBER, cuius (ut cum vulgo loquar) testes hanc ingrediuntur massam. Ferunt hunc (fabulosene an verè, nunc non disputo) quò se venatorum insidijs liberet, proprios testiculos, ut propter quos norit cupide se peti; mordicis dentibus abscissos abjicere: addüt & istud, ni porrò desistant consecrari, eleuare sese, vulnere ad hostes conuerso, atque sic à proposito tandem auertere. Ita, mi PLINI, existimationis nostræ venatorib; multa sepe largienda sunt, ni nos velimus planè interfectos calumnijs: Quod & te facere jubeo, & persuadebüt magnorum Virorum exempla. Nunc ad te reuertor, COLLE-

E

GA &

D E C A N I R E S P O N:  
S

GA & AMICE colende. Quod ergò, & tuo &  
collegij nostri nomine, abs te, tum & Candidatis ipsis hoc  
gestu rogatum, ut honestum sic æquè petitum censeo. Debe-  
tur enim virtuti præmium. Et certè neminem ego tam malè  
affectum fore existimo, qui idem nobiscum non sensurus sit,  
hosce sex honestos & doctos V I R O S, superatis studiorum  
laboribus, brabea rectè petita tandem meritissimè obti-  
nere. Proinde copiam tibi facio, pro eâ, qua fungor in præ-  
sentiâ, autoritate, hosce Candidatos nostros, præstito tamen  
abs se prius consueto honestatis & diligentie sacramento,  
Doctores in facultate medicâ publicè pronuncianti, vsita-  
tisq; solennitatibus inaugurandi. Istud ut cedat ad glori-  
am D E I, utilitatem Reipubl., & horum denique Candi-  
datorum salutem & emolumentum, addo votum.

Iuramentum vsitatum  
præstitum.

# Actus Promotionis

Qvod igitur, DEO fortunante, Vobis, vestrisq;  
feliciter prospereq; eveniat; & Reipublicæ  
Christianæ, multisq; in hac, salutare sit: Ego pote-  
state ea, quæ mihi, autoritate publica, jam facta  
est, & qua in præsentia fungor:

Te, M. Melchiorem Iöstelium, Dresdensem; Mathe-  
maticum, in hac Acad., Professore[m] publ:

Te, M. Daniele[m] Torschmidt, Freibergensem:

Te, M. Tobiam Tandlerum, Torgensem:

Te, M. Casparum Horn, Freibergensem:

Te, Stephanum Marcellum, Austriacum:

Te, Basilium Plinium, Rigensem, Livonum:

Vos, inquam, singulos & universos, Viros or-  
natissimos ac Doctissimos, de sententia & iudicio  
Collegij nostri, Doctores artis Medicæ creo & re-  
nuncio, in nomine Patris, & Filij, & Spi-  
ritus Sancti.

Amen.

Et quia vetustas, ut talis Renunciatio illustrior  
& celebratior esset, ceremonias quasdam addidit,  
quæ vtilis commonefactiones essent, de rebus, ad di-  
gnitatem professionis, quam jam adepti estis, perti-  
nentibus: ipse quoq; morem, in his vsitatum retine-  
bo.

E 2

Cathe

## Cathedra.

**A**C primùm, vos in hanc honestissimam Cathedram colloco: & hoc ritu, potestatem vobis concedo, docendi artem Medicam, & usum artis exercendi, vt cuiusq; vestrum vocatio, & fides in hac, & loci deniq; leges ac statuta postulant,

## Libri.

**D**Einde libros vobis aperio, quibus consignata & tradita sunt, à præstantissimis artis Magistris, quæ ad medicationes morborum, ratione vera instituendas, pertinent. Horum diligens & assidua lectio, vobis commendata sit: ne imperitorum more, sine ratione, sine Methodo, sine iudicio, ad tractandam hanc divinam artem accedatis. Eisdem clausos, vobis propono, ut memineritis, non lectione sola, rem omnem confici: sed meditatione opus esse, quæ lecta & percepta sunt, ad usum in vita accommodentur. Eam igitur copiam, eum apparatus doctrinæ, vobis ex libris comparabit, qui & remotis ijs, vos non destituat: ut in subitis etiam morborum casibus, in promptu numeratoq; sint, quibus ægri saluti consulatis: quæ suprema lex, medico esse debet.

## Pileus.

Impono



Impono & pileos purpureos, priscum docentium  
in scholis insigne. Voluit enim antiquitas, eos,  
qui eruditione & virtute antecellunt, aliosq; do-  
cent: in vestitu quoq; gravitatem quandam præ se  
ferre. Simul de verecundia & honestate, ordinem  
nostrum decente, vos hoc ritu commone fieri, scia-  
tis: vt exercentes artem, eam moribus & sermoni-  
bus, ab omni levitate & spurcitie alienis, ornetis.

## Annuli.

Tribuo quoq; jus & ornamentum aureorum an-  
nulorum. Vt enim annulus aureus, apud Ro-  
manos olim, Equestrem ordinem, à reliqua multi-  
tudine discernebat: ita hic mos ad scholas transla-  
tus, testimonium est dignitatis & honoris, ad quem  
jam virtute ascendistis. Cogitabitis etiam, hac  
quasi arrha, desponderi vobis Medicinam, artem  
humano generi, in hac Naturæ imbecillitate, utilem  
ac necessariam: quam castè & sobriè tractabitis, si-  
cuti fides erga DEVM, hominesq; requirit.

## Osculum

Adde & osculum, atq; complexum. Quo admo-  
neri vos meminertis, tum de pietate & gratitu-  
dine erga hanc Academiam, à qua, tanquam beni-  
gna matre, hos honores accepistis; & erga collegi-

E 3

um

um Medicum: tum de officijs dilectionis Christianæ, ne, vel lucri diffidentia, vel odio & invidia, vel injusta alia cupiditate, cuiquam desitis: sed in vero timore D E I, & dilectione proximi, fideliter & religiosè operam præstetis, omnibus, qui hæc à vobis, legitima ratione sunt petituri.

## Conclusio, per precationem.

Postremò cum filius D E I, inter alia *ἐνεργήματα* S. Sancti, etiam distribuatur *χαρίσματα ἰαμάτων*: eum, toto pectore oro, ut deinceps quoq; , vestra, Renunciati Domini Doctores, studia clementer gubernet: fortunet medicationes vestras, & nostras: ut ipso benedicente, multis eæ in genere humano profint: & nos omnes, vasa faciat, nobis, & alijs salutaria, Amen.

Iam cum meis partibus defunctus sim: restat, ut vestra etiam vox, in Nobilissimo hoc confessu, exaudiatur.

Q V Æ.

# QVÆSTIO A PVE RO PROPOSITA.

**N**on dubito, sapienti con-  
silio, piam vetustatem constituisse, ut nobis  
quoque pueris, in hisce solennibus actibus  
aliquæ dicendi partes concederentur: etiamsi cau-  
sas huius rei, in hac ætatis meæ imbecillitate assequi  
non possum. Huic laudatissimæ consuetudini, ego  
quoq; reverenter obtemperans, initiò vobis univer-  
sis & singulis, Clarissimi Domini Doctores, renun-  
ciati, honores illos, quos & pietas & eruditio vestra  
meretur, ex animo gratulor, ac toto pectore DEO  
VM oro, ut deinceps quoq; studia vestra & medica-  
tiones, regat ac fortunet; ut sitis vtilia organa, om-  
nibus, consilium & auxilium vestrum petituris. His  
ita præmissis, pro more scholæ, breuiter quæstionem  
in medium proponere conabor, de contagione, quæ  
à peste infectis, in alios traduci solet, periculo sæpè,  
quod à circumspèctis etiam, vitari nequit. Am-  
bigi enim audio, vtrum cadaver, peste extincti, vi-  
cinos alios, magis inficere possit; quàm infectus ip-  
se, dum adhuc esset in vivis. Et quòd peste infe-  
cti, vitam adhuc ducentes, facilè inficere alios è pro-  
pinquo possint, extra controversiam positum esse,  
video.

video. Tunc enim è naribus, ore, arterijs, & ex  
poris totius corporis, pestifera seminaria ex pirantur:  
siquidem calor adhuc superstes, & à veneno adver-  
sante extimulatus, multum resolvit & expellit. Et  
cùm infectos, in aëre concluso, non perspirabili, i-  
deòq; facilius computrescente, delitescere ipsa neces-  
sitas cogat: pestiferos halitus, hac quoque ratione  
multiplicari, consentaneum fuerit. Non dicam,  
quòd etiam excretæ sordes, alui, & vesicæ, item su-  
dores infectorum, ambientem aërem facilimè ve-  
nenata putredine imbuant. Quòd verò cadaver  
etiam peste extincti, alios itidem facilè inficere que-  
at: multæ rationes persuadere videntur. Infectio  
enim in peste, <sup>hæret</sup> accedit, caloremq; naturalem  
oppugnat. Donec igitur calor in vivente, fortiter  
resistit; salva manent omnia: sed quàmprimùm  
calor à veneno superatur & extinguatur: absq; du-  
bio, sola vis veneni intus grassabitur, & longè la-  
tèq; in laxas, & spongiosas partes carnosas, atq; in  
humores dimanabit. Præterea, si contagium in su-  
perficie supellectilis domesticæ, in linteis, stragulis  
& vestibus defuncti hæerere, & cùm ipsis aliò sæpè  
transportari solet: quantò magis in amplissima hu-  
morum materia, extincto homine, sese diffundet?  
Huc pertinet, quòd apud Thucydidem, coruos, à ca-  
daveribus peste defunctorum abstinuisse, legimus.  
Qua-

Quapropter, cadavera peste extinctorum, alios quoque facile inficere, non negabimus. Cum igitur utrinque rationes non contemnendæ offerantur, quas ego dijudicare non possum; & res digna explicatione videatur: à te, Clarissime Domine Doctor Iösteli, etiam atque etiam peto, ut eam nobis ex Medicinæ fontibus exponas & declares. Quo officio, singulos & universos, in Nobilissimo hoc auditorio, ad benevolentiam tibi devincies, & me ad perpetuam tui observantiam obligabis.

AD QVÆSTIONEM,  
RESPONSIO DOCTORIS  
MELCHIORIS IOSTE,  
LII.

**R**INCIPIVM RESPONSIONIS MEÆ,  
ad quæstionem tuam, carissime puer, inde faciam,  
unde tu quoque propositionis tuæ primordia pia capiebas. Cum enim nemini dubium sit, Artem medendi divinitus monstratam esse hominibus; toto pectore precor Filium DEI, ut auspicijs honorum nostrorum clementissime faveat, mentesque ac manus nostras ita gubernet, ut  
F cogitata,

cogitata, dicta & facta nostra omnia, ad gloriam nominis  
ipsius, & ad publicum generis humani emolumentum ver-  
gant. Problema tuum eruditum est, & cum maximis uti-  
litatibus in vita communi conjunctum: Utrum cadauer peste  
extincti, alios facilius & magis inficere possit; quam infe-  
ctus ipse, dum adhuc est in vivis. Etsi verò non ignoro, multos  
existimare, gravio rem contagionem inesse defunctis, quam  
viventibus: tamen si rationum monumenta diligentissimè  
ponderaverimus, planum fiet, quòd periculosius cum vi-  
vente infecto, quam cum cadavere pestifera lue extincti ho-  
minis, conversetur. Probatio est in promptu, quæ tamen  
non à materia contagij, sed à causa efficiente tota dependet.  
Si enim materiam spectes, fateor, in cadaveribus inesse mayo-  
rem putredinè, quia in majori subjecto hæret, ubi scilicet semel  
oborta, propter magnam corporis molem, latissimè sese dis-  
seminat. In vivis verò, qui peste corripuntur, uni potissi-  
mum membro, & quidem cordi, reliquis salvis (adeò, ut  
propterea lotia pestilentialium, sint lotijs sanorum similima,)   
putredo negocium faceffit. Licet igitur, quò ad copiam & quã-  
titatem, major sit putredo in defuncto, minor in vivente:  
tamen inde non sequitur, quòd etiam sit contagiosior & no-  
centior in defuncto, quam in vivente. Causam efficientem  
contagij principalem, calorem nativum constituimus, qui  
summo conatu & molimine, per arterias & occultos innu-  
merosq; poros totius corporis, ex foco putredinis, fumos ve-  
nenatos propellit: minus verò principalem, dicimus esse posi-  
tam in aëris ambientis calore, utpote, qui & ipse sua virtu-  
tute.

tute aliquid resolvit & euocat. In cadavere calor natu-  
tius perijt, & superest solummodò externus circumdans  
calor, qui nullo præterea alio adjuvatur. Etsi verò iste, ad in-  
teriora progressus, aliquid evocat: tamen mox collabentibus  
cutis & universi corporis meatibus, expeditum transitum  
diutius non habet. Tàm igitur propter caloris  
ambientis, tanquam unius saltem agentis, imbecillitatem;  
quàm propter corporis & pororum conclusionem & resi-  
stentiam, aut exiguos, aut certè exigua vi venenata imbutos  
fumos, educet. In vivis insectis, duplex calor ex materia pu-  
trida, vapores secernit & expellit; nimirum calor insitus,  
magno molimine venenis resistens; deinde calor aëris ambientis,  
extractione sua naturalem calorem subleuans & adjuvans.  
Accedit & hoc, quòd uterq; calor conjunctus, vias & poros  
expirationibus expellendis laxiores & patentiores efficiat.  
Inprimis verò nobis ad malignam seu pestiferam vim est at-  
tendendum, quæ non à qualitatibus manifestis, sed à forma  
specifica agit. In cadavere, qualitas & vis pestifera,  
una cum calore perit, & succedit nova corruptio. Illud inde  
patet, quòd ex cadaveribus hominum peste sublatorum, ser-  
pentes & vermes; ex equorum cadaveribus, scarabeos; ex  
asinorum cadaveribus, vespas & crabrones effingi vide-  
mus: non aliter, atq; ex aliorum non insectorum cadaveribus.  
Hoc utiq; non fieret, si superstes esset pristina virulentia,  
quæ naturæ, & omni ipsius generationi quàm maximè ad-  
versatur. Virus etiam contagiosum, malignam qualitatem  
ex sese expromere non potest, nisi à calore, cui sese insinuare,  
& quem ex pristina sede removere studet, in actum dedu-  
catur.

catur. Quemadmodum igitur venena, alimenta, & phar-  
maca, in cadavere, propter caloris (ut ita loquar) actuan-  
tis absentiam, nullum habent usum & efficaciam: ita putre-  
do pestifera, tantum virium non habet in semetipsa, nedum  
ad alios transmittit, propter caloris defectum. Simili modo  
viscidum aliquid de contagio in supellectilem emanans, &  
solummodo in superficie hærens, nec ad intima, quod calo-  
ris expertia sint, dimanans; dum in pannis, lineis, aut pelli-  
ceis vestibus continetur, prorsus languidum est, & effatum  
atq; ignavum. Quando etiam aëris perflationi exponitur, aut  
aquis ferventibus immergitur, ita extinguitur, ut impune  
gestari vestes defuncti possint. Verum quando per contrectatio-  
nem & applicationem vestium non purgatarum, rursus qua-  
litas illa à calore naturali concalescit; ibi de novo, ut ita lo-  
quar, actuatur, & per poros cutis cordi communicatur. Calore  
neget omne contagium, si offendere debet. Verum & hoc est,  
quod quandiu est aliquis in cadavere calor, tandiu veneni  
contagiosi aliquid simul adhuc delitescat & minetur: donec  
perfrigescente corpore, ipsum simul evanescat, & novæ  
putredini novoq; fætori locum relinquat. Quapropter ex  
viviis, tum propter duplicem calorem agentem, tum propter  
vim & qualitatem venenatam, specifica quadam virtute  
armatam; tam plures & subtiliores, quam venenatiores  
fumi exhalabunt. Sunt, qui & hoc affirmant, à cadave-  
ribus peste sublatorum computrescentibus, non magis aë-  
rem corrumpi, quam ab alijs cadaveribus: nec in fætoe utro-  
rūq; discrimen aliquod esse: cum tamen potius contrarium fieri  
deberet:



deberet: quæ in medio nunc relinquimus. Quod verò apud Thucydidem, corvi à cadaveribus fætidis pestilentialium abstinuerunt; illud Thomæ Jordano, Medico præstantissimo, in Phænomenis pestis, non tam physicè, quàm oratoriè ab Historico scriptum esse videtur; cum aliàs quadrupedum animalium, etiam peste extinctorum intestina & fibrosas carnes lacerare non perhorrescant. Atq; ex hisce, quæ redimendi temporis gratia, ut nostrorum hospitem, reliquorumq; competitorum meorum rationem haberem, breviter ad tuam quæstionem, carissime puer, respondenda esse duxi, satis innotescere puto: gravissimis de causis, periculosiores esse conversationes & cohabitationes, cum viventibus, infectis, quàm confectiones cadaverum pestilentialium. Faxit æternus


DEVS, ut ab hoc, & huius generis alijs calamitatibus, nostra patria Germania diutissimè libera esse possit.

D I X I.

F 3 EXPLI

EXPLICATIVVS APHO-  
RISMVS HIPPOCRATIS,  
EX FINE VI. EPIDEM.

Doctore Daniele Torschmidt.

VM ET MIHI, IN AMPLISSIMO  
hoc confesso, Patres Academici, vosq; ceteri Viri  
Nobilissimi, præstantissimi, aliquæ dicendi partes  
sint demandatæ; vellem sanè, ut splendide & pro-  
lixè ea afferre possem, quæ limatis ac eruditis vestris auri-  
bus digna & grata essent. Sed hæc, ut polliceri queam,  
non sum tanta ingenij vi, nec fiducia præditus; neq; si maxi-  
mè tentarem, concederet id, cum præsentis temporis angu-  
stia, tum vestra in auscultando benignitas, qua diutiùs abu-  
tendum non est. Accedit, quòd ea jam sint prolata, quæ  
vestros omnium animos abriperunt, ut verendum mihi sit, ne  
minus ad hæc, quæ dicturus sum, attendere possitis. Quam-  
obrem, quid restet, video: nimirum, non verborum prolixo  
& ambitioso ornatu, sed accepta potius brevitate, vestram  
mihi gratiam conciliandam esse; quam adjuvabit rerum i-  
psarum utilitas ac præstantia. Explicabo enim paucissimis,  
quòd fiat, quòd sæpius experiamur, melancholiam in morbum  
comitiale abire, & vicissim hunc in illam permutari. Cu-  
ius mutue successionis causam, ut eò acrius perspiciamus,  
facem nobis præferet divinus ille Hippocrates, apud quem in  
fine

fine 6. Ἐπιδημιῶν, hæc Verba: οἱ μελαγχολικοὶ, καὶ Ἐπιληπτικοὶ εἰώθασιν γίνεσθαι, ὡς Ἐπιτοπολύ: καὶ οἱ Ἐπιληπτικοὶ, μελαγχολικοὶ. Τούτων δὲ ἐκάτερον, μᾶλλον γίνεται, ἐφ' ὅτι ὅτι ἄνθρωπος ἐξυψώσῃ τὸ ἀρρώστημα. Ἰὼ μὲν ἐς τὸ σῶμα, ἐπιληπτικοὶ ἔπι τὴν διάνοιαν, μελαγχολικοὶ. Melancholici, plerumq; fieri solent Epileptici; Ἐpileptici, melancholici. Horum utrunq; magis accidit, pro ut ad alterutram partem, infirmitas fluxerit. Si enim in corpus, epileptici fiunt; si in mentem, melancholici. Spectat hæc sententia, ad eam Medicinæ partem, quæ ἀεὶ γινώσκον tractat, qua Medicus, ex certis conjecturis futura prædicendo, divinæ cujusdam sagacitatis Ἐ prudentiæ existimationem sibi concitare potest. Quomodo verò enumeratorum affectuum alter alterum excipiat; liquidum reddetur; si utriusq; essentiam, causas Ἐ subjectum, quantum præsens requirit institutum, perscrutati fuerimus. Melancholia, est mentis quædam abalienatio, citra febrim, cum metu Ἐ tristitia. Oritur ab humore atro Ἐ feculento, aut vapore inde effumante; qui in substantiam cerebri irrepit, temperiem eiusdem vitiat, ac ibidem principibus animæ facultatibus tenebras quasi offundit, easdemq; depravat. Epilepsia verò, est motus convulsivus totius corporis, qui ex temporum intervallis ingruit, cum mentis ac sensuum oblesione. Ortum trahit à re noxia, cerebrum ad expulsionem sui irritante, sive illa, sit materia obstruens, sive qualitatis acrimonia Ἐ malignitas; unde nervorum principium vellicatum, in se quasi redit, spirituum poros ac meatus contrahit, Ἐ id quod molestum, violento motu excutere Ἐ abigere conatur. Hinc

Hinc apparet, quòd in morbo comitiali, cerebrum, non ut pars  
similaris, sicuti in priori affectu, sed secundum compositionem,  
patiatur. Cum verò Epilepsiae causae ac differentiae aliquot  
existent, quemadmodum apud Gal. 3. loc. aff. 7, illae recen-  
sentur; asserimus, non quamvis epilepsiam, in melancholiam  
cedere posse; sed eam tantum, quae ab humore atro excitatur.  
His constitutis, facile est, rationem huius vicissitudinis ex-  
plicare. Si enim in corpus, inquit Hippocrates, infirmitas re-  
pit, epileptici existunt; si in δίανοια, melancholici. Per Corpus,  
intelligit corpus organicum cerebri, suis ventriculis ac meati-  
bus instructum: per δίανοια, temperiem eiusdem. Nam se-  
cundum Gal. 8. de usu part. 18. intellectus non sequitur com-  
positionem, sed substantiae bonum temperamentum. Quare  
Et melancholicum delirium, vel intellectus depravatio, se-  
quetur ad vitiatum temperamentum cerebri, quando materia  
morbifica, cuius supra facta mentio, in substantiam penetrá-  
rit, cerebrum qualitate frigida Et sicca imbuerit, adeoq. spi-  
ritibus caliginem quandam induxerit. Haec eadem, cum, re-  
lictá priori sede, in ventriculos se insinuárit, Et ibidem, vel  
obstructione, vel qualitate infesta, cerebrũ ad noxae propulsio-  
nem sollicitárit; ex melancholicis, epileptici fieri consueverũt;  
sicut vice versa, materiã ex ventriculis in substantiam dela-  
tã, morbum comitiale, reseratis spirituum meatibus, me-  
lancholia excipit. Intelligit nunc qui vis, horum affectuum  
permutationis causam: quã percepta, acquiescendum mihi du-  
co. Quamvis plura, eademq. ornatiore, de his proferri pos-  
sent; tamen quia intempestiva forent, gratiam ne perdant,  
Vereor.

vereor. Malo igitur his brevioribus, atq; ideò forsan ac-  
ceptioribus concludere: quàm tot viros àplissimos, juvenesq;  
ex studiosorum cœtu lectissimos, qui omnes ad solennitatem  
nostri Actus illustriorem efficiendam, tam frequentes con-  
venerunt, nobisq; suam benevolentiam auscultando abundè  
declararunt, prolixiore dissertatione molestare; præsertim,  
cùm huius generis varia, in proximo disputationis exerci-  
tio, enucleatius fuerint pertractata. Quare suffici-  
ciant hæc, in præsentis temporis angustia, &  
Dominis Competitoribus locum dicendi  
cedo.

APHORISMVS 50,  
EX I. ΠΡΟΡΡΗΤ. COMM.  
2, EXPOSITVS

Doctore Tobia Tandlero.

**R**VBESCEREM LOQVI IN HAC  
augustissima corona, Magn. DN. Rector, viri  
generosa nobilitate, reverenda pietate, excel-  
lenti doctrina, & virtutum splendore præstan-  
tissimi; nisi præceptorum reverentia id flagitaret, & re-  
cepta consuetudo comprobaret. Succinctam igitur dicentis  
brevitatem divina, precor, gratia, vestraq; clementia suble-  
vare pergat. Enodandus mihi est aphorismus ille 50.  
G ex l. I.

ex l. I. prorrh. com. 2. nostri coryphaei desumptus, qui sic habet: Subitaneis apoplexijs si febris soluta mediocris & diutina supervenerit, perniciosum. Oraculum hoc senis, ut breve, ita obscurum: ut difficile, ita verissimum. Tria in hoc sunt inquirenda. Primum, de quo affectu loquatur autor. Deinde, quam febrim, apoplexiae comitem intelligat. Tandem, quale prognosticum inde extruat. Affectum quidem non alium, quam Apoplexiam, denotari, vel textus innuit, qui de Subitaneis apoplexijs pronunciat. Etsi enim saepius apoplexiae vocabula, Hippocrati paralysem indicet: haec tamen resolutio subitanea, quo ad periodum, non est: Longo enim temporis intervallo, paralyssis potest perdurare. Apoplexia vero hominem repente non tantum prosternit, sed brevi etiam circuitu, vel ad paralysem vel ad mortem praecipitat. Quidam ἀποπληξία λέγουσιν interpretantur siderationem solutam, hoc est, facilem solubilem. Non male.

Febrim autem Galenus in comm. exponit ἑλαχρὰν καὶ ἄρρωστον, debilem & diutinam. Quae, si apoplexiam subsequatur, attonitum morbum expugnare non valet, cum satis adequato robore non polleat. Quinetiam cum haec ipsa paulatim vires infringat, opusq; respirationis difficilior reddat, exitium hic accelerari certum est. Iusta igitur est Hippocratis sententia, quod talis febricula, post apoplexiam ingruens, sit ὀλέθρα & mortis nuncia. Quanquam vero Hippocrates, in 5. Aphor. 5. & 6. Aphor. 51. nec non in Coacis praenotat: insinuet, Febrim, apoplexiae supervenientem, a morte liberare, quando multos &

tos & apoplecticos in septem diebus perire aut, nisi febris apprehendat: in illis tamen locis febris accipienda est acuta, quae crassum humorem attenuare, frigidum excalfacere, viscosum incidere, & flatuosum dissipare sufficiens est. Quod sanè lenta & diuturna præstare febricula nequit, ut in Numenij filio manifestum.

Dicat verò quis, Contrarij affectus quomodo poterunt simul exoriri? Cogitet is quæso, diversa hostium castra, diversis in locis non absurdè collocari. Neq; colligendum, phlegma frigidum, putredinis expers, quod cerebri ductus infarcit, ad febrim excitandam impotens esse, præsertim, cum ab hoc aliquando cordis calor adeò obtundatur, ut quibusdam insensilis etiam respiratio, pulsuumq; summa obscuritas satisfacere visa sint. Vera quidem hæc sunt: at non æterna. Ex pituitosis enim & frigidis humoribus facilimè oppilationes, atq; ex his calorem præternaturam concitari, medicorum schola demonstrat. Quod si igitur nature instinctu febris insurgat validior, nefas non est, præsentaneam decumbenti salutem polliceri. Sin ad hos conatus natura fuerit segnior, jubent quidam artificiosè per confectionem Anacardinam, febrim inducere. At non sine periculo hoc est, imprimis tempore fervido, & in apoplexia phlegmonode. Arbitrij enim nostri non est, medicamenta adeò fortia, si fuerint absorpta, pro lubitu moderari. Et metus est, ne per Opiatas confectiones, vel lethargica, vel phrenetica symptomata accersantur: ex quorum accessu virtus magis pessum iret.

*Hippocrates merito auscultandus, qui febrem Apoplexiæ  
comitem, parvam quidem, noxiam pronunciat;  
acutam verò salutarem.*

TEXTVS AVICEN  
NÆ, EX 3. CANONIS,  
Fen. 2. Tract. 1. cap. 2.

à

*Doctore Casparo Horn enarratus.*

**H**OC MORE FIT, INSTITVTO Q; IN  
chyti Collegij Medici, Academia huius celes-  
rimæ, ut in hoc amplissimo & frequenti thea-  
tro, unicuiq; nostrum aliqua dicendi partes den-  
tur. Vt igitur & ego aliquid, de materia proxi-  
mæ Disputationis, quæ mihi de παραλυσι data erat, in me-  
dium afferam, declarabo breviter textum illum Avi-  
cennæ, qui cap. 2. lib. 3. Fen. 2. tract. 1. extat his ver-  
bis: Paralysis verò quædam est, quæ est crisis Co-  
licæ. Intentio Avicennæ est, inserere quorundam anti-  
quorum opinionem, qui dixerunt; quòd colica, quibusdam  
annis, fuit communis & popularis, cum interitu pluri-  
morum. & qui evaserunt, eorum cruciatus colicos, para-  
lysi chronicâ sese finisse. Morbum autem, ex morbo a-  
lio



alio fieri, ita, ut morbus unus, causa sit morbi alterius:  
Crisis vocabulo, auctor innuit. *Κρίσις* enim, teste Hip-  
pocrate, morbi etiam dicuntur, cum in alium morbum  
transeunt. Adhæc, à Galeno quoq; id appositis exem-  
plis, in lib. de diff. morb. explicatum, & ab ipso Avicen-  
na (qui se Galeni interpretem appellavit) cap. I. lib. I.  
Fen. 2. doct. I. repetitum legimus, hunc in modum:  
Est, cum ægrotudo fit alterius ægrotudinis causa; sicut  
colica, syncopes, aut Paralysis, aut Epilepsia. Et in  
hoc presenti cap: Ad paralyin fit mutatio, ex Epilepsia,  
& Apoplexia, & Colica, & ex præfocatione matri-  
cis, & febribus chronicis, per viam crisis. Porro,  
quod veterum nonnulli quibusdam annis accidisse dixe-  
runt, de hac morborum permutatione: id confirmat Pau-  
lus Ægineta, dum sua tempestate, eiusmodi colicam af-  
fectionem invaluisse scribit, quæ primùm in Italia cepit;  
deinde & per alias Romani imperij, easq; diversas regio-  
nes adeò grassata est, ut plerisq; in morbum Comitias-  
lem, alijs in artuum resolutionem, transiret: atq; hos ma-  
gna ex parte servatos esse; illos, ut plurimum periisse.  
Ioannes itidem Guinterius Andernacus ait; se crebrò, sua  
ætate vidisse, quod Paulus memorat. Idem testatur  
Hollerius, Trincavella, & Forestus. Refert & Vol-  
cherus Coiter, in Germania, & præcipuè in Franconia,  
ac in Norinbergico tractu, esse huiusmodi malum frequen-  
tissimum. Immò verò Avicenna tradit, colicam multo-  
ties permutari ad paralyin. Quippe paralysis, inquit

Lang. Epist  
l. 2. ep. 40.  
Fonse. com.  
V. Aph. 54.

Nicolus, sepius est terminus multarum aegritudinum; at ipsa, rarissime terminatur ad alias. Ceterum, per quasnam vias, in hac morborum ~~pertransiōe~~, humorum motus fiat; non ita apertum est. Dubium tamen non est, sepe numero evenire, ut valida Natura, sibi vias in vivente corpore, adhuc pervio paret; peritis etiam medicis incognitas. Qua ratione compertum est, acum crinalem, quatuor digitorum longitudine deglutitam, decimo tantem mense, per urinam, illesis corporis partibus, expulsam fuisse. Ita quoque negare non licet, materiam in colico dolore, interdum ex intestinis & hypochondrijs, ad dorsi vertebrae & nervorum exortus, motu critico, per insuetum iter transferri, indeque artuum ~~paralyse~~ sequi. Magis comprobata facit hanc sententiam textus Avicennae, ubi dicitur: materiam illam, quae pervenit ad intestina, Natura, secundum semitam crisis, expulit & reduxit ad exteriora; & quia fuit grossior ea, quae penetrat per sudorem, in viscata est in nervis, & fecit paralysem. Praeterea, intestinis ex Colica laborantibus, ventriculum etiam, ob membrorum consortium, affici, minimè dubitandum. Multò minus; plurimos ex eo vapores ad caput efferri, & in tenuem quandam humiditatem inibi converti; quae cerebrum non tantum irrigat ac replet, verum etiam per sacram fistulam, ad nervorum origines delapsa, membrorum resolutionem nonnunquam efficit.


Ex hac itaque declaratione, laconica brevitate, ob  
temporis

temporis angustiam impræsentiarum proposita, manifestè  
constat, quòd, & quomodo, ex Colica quandoq; paralyfis or  
riatur. Quæ prolixius in præsentia, persequi non li  
buit: ne meis competitoribus, etiam quod exiguum  
restat temporis, præripuisse  
videar.

DIXI.

EX HIPPOCRATIS  
COACIS PRÆNOT.,  
expositus Aphorismus,

Doctore Stephano Marcello.

 *V*AM VELLEM, AVGVSTISSIMO  
hoc confessu locoq; dignum aliquid, in publicum  
proferre. Verùm vestræ satisfacere expecta  
tioni, non est mei ingenij. Et si vel esset, pro  
hibet temporis angustia, & animorum vestrorum æ  
quanimitas, qua abutendum ulterius non est. Ne tamen  
inter reliquos, omninò ἀσύμβολος comparuisse videar:  
paulisper me, de Coryphæi nostri, Hippocratis nimirum,  
aurea

aurea illa Coacarum prænот. sententia, breviter quidem,  
sed ponderosè prolata, aliquid dicentem audire dignemini.

Verba Hippocratis sunt: Quibus è naribus larga san-  
guinis eruptio, vi supprimitur: ij convulsionem nonnun-  
quam incidunt. Solvit verò phlebotomia.

Duo potissimum in hoc aphorismo continentur: cau-  
sa videlicet convulsionis, & eiusdem curatio.

Causam, voculis hisce duabus, VI SUPPRIMI-  
TUR, indicat: & refertur hæc ad repletionem, de qua  
Hipp., & in eum commentatus Gal. 6. aph. 39. Nec  
sine rationis momento, addidit, VI. Quando enim Na-  
tura, evacuato eo, quod superfluum erat, sibi ceu thesau-  
rum, reliquum sanguinem conservat, & per se, nullis ex-  
ternis causis molestata, supprimit: nil tale quippiam,  
stillantibus sanguinem contingere solet: si secus, contrà.

Quòd autem non semper, sed interdum, ex suppresso  
sanguine, convulsionem fieri dixit Hipp.: id Galenus quoq;  
in 3. prorrhēt. probat. Nam ubi quis patitur *ἰσχυρὸν*  
& symptomaticum sanguinis fluorem, sive ex debilitate  
virtutis retentricis, sive ex quantitate, aut qualitate san-  
guinis id fiat: illum sistendum, ipsa suadet ratio: sinen-  
dum, si naturæ opus est, aut expulsio critica. Impe-  
dità enim in opere suo Naturà, aut demittitur sanguis  
in pulmones & fauces, ut æger suffocetur: aut detinetur  
is, effusus in cerebri substantia, & sic convulsionem pa-  
rit. Fit hæc, dum cerebrum sanguinis qualitate acri ob-  
rutum & succumbens, in sese concidit & contrahitur,  
Spongiæ



Spongiæ instar: quo contracto, ipsi quoq; nervi & muscoli, suum principium, veluti currus equos, subsequuntur. Hinc admodum imprudenter mulierculæ & matres familiâs agere videntur, dum quemvis sanguinis fluorem empiricis suis medicamentis inhibent, anxie clamitantes, malum hoc & insalutare esse, cum interdum nihil magis proficit. Quando autem, & quomodo, eiusmodi narium seu mensium quoq; *αἰμορραγίας* sistendæ; non est hominis idiotæ, sed Medici solertis & docti, qui accuratè criticam à symptomatica fluxione discernere didicit, quiq; cuiuslibet corporis constitutionem & vires non ignorat. Si enim Naturam sufficientem esse, ad ferendum sanguinis fluxum, et ex illo allevationem sequi conspexerit: ociosus spectator esse debet, donec *ἀπέχεσθαι*, & virium jaeturam ingruere animadvertent.

Contrarium in illis faciendum, qui vel *ἀεγχεῖται* hæmorrhagias patiuntur: vel sanguinis fluxioni ferendæ non sunt pares. Virum verò præstent in nimio fluore, repellentia vel reprimentia: an venæ sectio; in utrumq; controversari potest. Tutiores tamen esse venæ sectionem, ipse quoq; testatur Hipp., lib. prorrh. inquit: si larga sanguinis effusio est, interdum ad convulsionem eger deducitur: solvit autem venæ sectio. Adde, quòd venæ sectio in nostra sit potestate, & per vices administrari queat.

Qua autem ratione, convulsio ex larga fluxione sanguinis, fieri possit, & cur venæ sectione curetur: breviter hoc loco dicere nequit. Proinde tempestivè phlebotomia succurrendum, quæ etsi primariò & per se non debetur, quia non indicatur: *ἐπιπέρας* tamen & secundariò requiritur, non ut sanguis evacuetur, sed ut à fluxu & impetu suo inhibeatur. Atq; tentanda hæc est, non

H in ho.

in homine, viribus exhausto: sed in firmiori, & quidem per vi-  
ces. Alia autem ratione, venesectio prodest in convulsione, ex  
sanguine suppresso orta, evacuando scilicet sanguinem, & deri-  
vando a nobiliori, cerebro videlicet, ad membrum ignobilius.  
Sed subsisto hic, ulterius, quam volebam, progressus; &  
cedo gratiarum actioni, quam, qui me sequitur, in prae-  
sentia peracturus est.

## DE APHORISMO HIP- POCRATICO QUÆDAM, ET GRA- TIARUM ACTIO AD CÆTUM, RECITATA

Doctore Basilio Plinio.

**M**EMINIT HIPPOCRATES IN 24. A-  
pho: sect. 3. cujusdam affectionis, quæ pueros per som-  
num infestare solet; Cujus indoles, cum cognationem  
quandam habeat cum incubo, nuperrimè mihi ad de-  
fendendum propositarum thesium materiâ; visum fuit, de eâ  
paucissima, pro ratione concisarum concessi temporis reliquiarum,  
verba facere. Dicitur igitur Hippocrati illa affectio, *Φόβος*,  
aliàs *Φαυμία* *Φόβος*; in prognosticis, eidem *ἐν τῷ αὐτῷ* est in pue-  
ris. Est autem symptoma lesæ actionis, ipsius sensus commu-  
nis, & imaginationis. Quia turbatur somnus, & tristitia ac ter-  
ribilia phantasmata incutiuntur imaginationi. Causa horum pa-  
vorum est, aut quia lac copiâ vel qualitate peccans, in imbecillo per-  
se, sed

se, sed acri sensu prædito Ventriculo, corruptum, os illius gravat,  
& lancinat: unde tristis oboritur sensatio: aut quia ex corrupto la-  
ete, tetri & nebulosi vapores, in cerebrum item imbecillum (cùm  
totum nervosum genus in pueris debile sit, teste Galeno) elevati  
prorumpentesq; Spirituum connatum splendorem turbant, obtun-  
dunt, inquinant; atq; ita terribilia somnia, aut casus ab alto imagi-  
nationem inducunt. Hic animus quidem esset, ulterius disqui-  
rere, quâ fieri possit, ut pueri terribilium somniorum visis percel-  
lantur & ex pavescaut, cum iudicij in illis vis, discernendi bonum  
à malo, letum à tristi aut terribili, redundanti humiditate immer-  
sa, per ineptum organorum languorem, se exerere nondum in illis  
queat.

Sed video, omnium ordinum & nominum spectatores præ-  
stantissimi, nihil nunc à vobis magis, quàm hujus cætus solutionem  
expectari. Quare quod reliquum est, colophonem actui ego huic  
jam jam addo.

Atq; tibi imprimis Deo Optimo Maximo, Uno supremoq; Bono,  
& hujus nostræ quoq; felicitatis auctori, gratias toto agimus pecto-  
re: Quod nos misericordie tuæ organa hæcenus superstites  
conservasti, hocq; die, eaq; solemnitate hic constitutos, sublimes ho-  
nores capeffere indulxisti: Rogamus te supplices, ut & in poste-  
rum, tua nobis adesse semper velis gratia.

Postmodum Illustrissimo Principi, Friderico VII Wilhelmo, E-  
lectoratus Saxonie Administratori, Domino nostro Clementissi-  
mo, pro tam magno splendidoq; in scholam hanc favore & patro-  
cinio, ingentes solvimus gratias; vota q; ad Deum fundimus, velit  
is Celsitudinem suam, cum Illustrissimis, & maximæ expectatio-

nis Christiani Electoris heredibus, totâ deniq, excelsissima Saxo-  
nicâ domo, salvam atq, incolumem, diuq, superstitem præstare.

Tibi etiam Magnifice Rector, nec non vobis, Decane Spe-  
tatisime, item Domine Promotor observandissime, cæteri q, a-  
tis medicæ Professores Clarissimi, pro multiplici benevolentia ve-  
stræ concessâ usurâ; sicut, & toti in chytæ Vitebergensi Acade-  
miæ, quantas concipere mente possumus, tantas habemus gratias.  
Similiter vobis, Generosi Barones, strenue DN. Capitaneæ & qui  
amplissimæ medicæ facultatis Lipsensis nomine comparuisti, vir  
Clarissime, adeoq, reliquis nobilissimis, prudentissimis, humanissi-  
misq, Dominis hospitibus nostris, toti deniq, scholastico cætui orna-  
tissimo, serias referimus gratias. Quibus omnibus & singulis,  
vti nunc pro viribus, levi exhibito munusculo, gratitudinem decla-  
rare aliquam duntaxat volumus, sic in posterum, quo vis  
tempore, officia nostra paratissima  
spondemus.

F I N I S.

Errata Corrigenda.

B 2. fac. 2. linea 15, lege, mole veluti auctâ.

C. 3. fac. b. lin. 3, lege, sunt.

Cætera literarum σφάλαρτα, sua sponte patent.



95 A AA 072

ULB Halle

3

000 445 282





[UH Bl. 2P]

[UK Bl. 5]

VD77







ORATIO  
CONTAGIONE,

PUBLICICE HABITA  
VVitebergæ, ab

SCHATONE, MEDIC  
D. ET PROFESSORE:

rum in arte Medica, insignia con  
entur viris VI. Ornatiss, ac  
doctissimis:

*Iöstelio Dresdensi, Mathem. professori publ.*

*Torschmidt, Freibergensi,*

*ndlero, Torgensi,*

*Horn, Freibergensi,*

*ello, Austriaco,*

*Rigensi Livono.*

Die XIV. Octobris

esu Christi M. D C.

*Addita sunt:*

*rismi aliquot, à Renunciatis Doctoribus,*

*m breviter explicata.*

TEBERGÆ,

Zacharias Lehman

Anno M. D. CI.